

VERITATIS AMATO

RI FRATRI GVILHERMO DE MORBEKA, VITES
lo filius Thuringorum & Polonorum, æternæ lucis irrefracto mentis
radio foelicem intuitum, & intellectū perspicuum subscriptorum.



VNIVERSALIVM entium studiosus amor te uinctum detinens, me tibi ut idem appetentem, sic coniunxit, ut uoluntas tua mihi sit imperium, me quoq; arceat ab effectibus tibi displicentium passionum. Quia ergo tibi, ut totius entis sedulo scrutatori, dū ens intelligibile à primis suis procediens principijs, entibus indiuiduis sensibilibus per modum causæ, actu mentis coniungeres, & singulorū causas singulas indagares, occurrit diuinarum uirtutum influentiā inferioribus rebus corporalibus per uirtutes corporales superiores modo mirabili fieri. Nec enim res corporeæ inferiores in ordine partiū uniuersi, diuinæ uirtutis incorporaliter sunt participes, sed per superiora sui ordinis contractā uirtutē participāt ut possunt, sicut & in alio substantiarū intellectiuarum ordine inferiores substantias per superiorū sui ordinis illustrationem à fonte diuinæ bonitatis deriuatam, prout uniuscuiusq; natura fert, per modum intelligibilium influentiæ fieri mentis acumine perspexisti: Sic ut omnis rerum entitas à diuina profluat entitate, & omnis intelligibilitas ab intelligentia diuina, omnisq; uitalitas à diuina uita, quarum influentiarum diuinū lumen per modū intelligibile est principium, medium & finis: ut à quo, & per quod, & ad quod omnia disponunt. Corporaliū uero influentiarū lumē sensibile, est mediū superioribus corporibus perpetuis secundū substantiā solū in potentia ad ubi existentibus infima corpora, quæ secundū formas & ubi uariantur mirifice illuminans & connectens. Est enim lumen supremarum formarum corporalium diffusio per naturam corporalis formæ materijs inferiorū corporū se applicans, & secum delatas formas diuinorum & indiuidualiū artificum per modū diuisibilem caducis corporibus imprimēs, suiq; cū illis incorporatione nouas semper formas específicas aut indiuiduas producēs, in quibus resultat per actum luminis diuinū artificium tam motorū orbium q̄ mouentiū uirtutum. Quia itaq; lumen corporalis formæ actum habet, corporalibus dimensionibus corporū, quibus influit, se coæquat, & extensione capacium corporum se extendit: attamen quia fontē, à quo profluit, habet semper secundū suæ uirtutis exordiū, prospicere dimensionem distantia, quæ est linea recta, per accidens assumit, sicq; sibi nomē radij coaptat. Et quoniam linea recta naturalis semper est in aliqua superficie naturali. Superficierum uero passio, quæ per terminantes lineas eis accidit est angulus: ideo radio luminoso consideratio adiacet angularis, & rectis angulis radiorū perpendicularitas est causa. Obliquatio uero irradiantis corporis super irradiatum corpus, acutos causat angulos & obtusos, & secundū huiusmodi luminariū influentiarū uariantur. Cum itaq; tua solertis diligentia ingenij secundū hæc cœlestiū influentiæ diuinam uirtutem respectu rerum capacium imitari prospiceret, & non solum secundū uirtutes agentes, sed secundum diuersitatē modi actionis, res actas diuersari uideret, placuit tibi in illius rei occulta indagine uersari, eiusq; diligenti inquisitioni studiosam animā applicare.

Libros itaq; ueterū tibi super hoc negocio perquirenti, occurrit tædium uerborum Arabicæ, implicationis Græcæ, paucitas quoq; exarationis Latinæ, præsertim quia tibi cōmissum officium poenitentiarie Romanæ ecclesiæ, cuius curæ partē geris, credens plus intellectu practico q̄ speculatiuo, poenitentibus succurrere, te cohibuit à multitudi ne uidendorū; maluisti enim languentium animarū diuino antidoto languoribus succurrere, q̄ ipsorū hominum ignorantias releuare: Meq; putans uacare ocio, sub amoris nexu, quo tibi coniungor, uoluisti constringere, ut hoc laboris tibi placiti onus subirem, hisq; materijs mihi nondū cognitis, animum applicarem. At ego, qui cunctis iussionibus tuis obtemperare desidero, uelle tuum suscipiens pro mandato, maioris negocij, quod de ordine entium olim conscribendum susceperam capitulum, in tempus semoui, presentisq; operis dispendium pro meæ possibilitatis uiribus, quibus hic impar fateor,

a adij